



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Ioannis Papae XXI. Vvlgo XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

## 330 ALEXANDRI PAPÆ V. VITA.

Ieron. 14.

nedito XIII. antipapæ schismatico, renuntiantibus subrogatus est in Concilio œcumeno & generali Pisano sexto Kalendas Iulii, anno Domini 1409. tempore Ruperti imperoris. Regnum Neapolitanum Ladislaο ecclesiæ persecutori ademptum, consensu patrum omnium in Pisano Concilio præsentium, [ex eo gradu ad summum ecclesiæ culmen euectus est,] Ludouico Andegauensi contulit. Pisas discedens, Bononiam se recepit: ibique in morbum incidit, ex quo dum sibi mortem imminere sentiret, cardinales ad se accersiri iussit. Cumque ad pacem & concordiam, communemque ecclesiæ vtilitatem eos adhortatus fuisset, omnia quæ in Concilio Pisano decreta erant, sibi iusta videri dixit. Ad extreum cum dixisset illud Christi, *Pacem meam do vobis, pacem reliquo vobis*, spiritum Deo reddidit quinto Nonas Maii, anno 1410. postquam octo mensibus ecclesiam rexisset. Bononiæ in ecclesia sancti Francisci sepultus est. Pauperes vnicce diligebat, plurimum humanus erat, & in quemuis liberalis, adeo vt interdum omnibus exhaustis per iocum dicere soleret, se diuitem episcopum fuisse, cardinalem pauperem, pontificem vero mendicum esse.



VITA  
IOANNIS PAPÆ XXI.  
VVLGO XXIII.

ANNO  
CHRISTI  
1410.

JOANNES huius nominis vulgari opinione XXIII. patria Neapolitanus, prius Baltazar Cossa vocatus, illustri familia natus, ex cardinale sancti Eustathii, & legato Bononiensi, factus est pontifex consensu omnium fere cardinalium vtriusque obedientiæ, decimosexto Kalendas Iunii anno Domini 1410. Ad pontificiam dignitatem promotus, electores imperii adhortatus est, vt Sigismundum Bohemiæ regem imperatorem deligerent. Quo facto, eidem in Italiam venienti, vt Ladislaum Romanam ecclesiam inquietantem compesceret, obuiam apud Laudem processit, cumque eodem Mantuam perrexit, vbi dum regia quadam magnificentia per D. Franciscum Gonzagam

ANNO  
CHRISTI  
1415.

excepti essent , consultatum fuit de bello Ladislao inferendo , qui plurimas ecclesiæ ditiones inuolauerat , & ne ipsi quidem vrbi pepercera<sup>t</sup>. Hortatu imperatoris ad tollendum schisma triginta sex annorum , vniuersale Concilium Constantiæ celebrandum indixit. Quo cum venis-  
set , tantis & tam enormibus accusationibus oneratus est , vt mutato habitu , non sine magno timore , clam se subtra-  
xerit. Verum decreto contra ipsum lato , apprehensus , &  
in carcerem coniectus , criminibusque quadraginta , de  
quibus accusatus erat , conuictus , communi omnium  
consensu depositus fuit , sententiamque aduersum se pro-  
nuntiatam approbavit: ac Ludouico Bauaro ad custodien-  
dum traditus , tribus annis captiuus detenus est. Exinde  
Gregorius quoque citatus est initio quidem , qui compare-  
re recusatus , verum bonis Sigismundi admonitionibus  
persuasus , Carolum Malatestam eo misit ; qui omnium  
sententia intellecta , nomine ipsius renuntiauit. Tertius  
antipapa Petrus de Luna , siue Benedictus XIII. occupata  
arce Panicola in Perpiniano , adeo se contumacem præsti-  
tit , vt eius causa discussa per Concilium , depositus fuerit. In  
eadem Synodo Bohemorum error damnatus est , eorum-  
que antesignani Ioannes Hus & Hieronymus Pragensis  
exusti sunt. Omnibus hisce rebus transactis , ad eligendum  
nouum pontificem animum adiecerunt : ad quam rem de-  
bito modo perficiendam , ex omnibus nationibus proba-  
tæ vitæ viros sex , qui cum cardinalibus conclaue ingreden-  
tentur , selegerunt. Quibus introductis tertio Idus No-  
uembris anni 1417. ipso die sancti Martini , contra om-  
nium opinionem , communi tamen gaudio , cardinalis Co-  
lumna pontifex eligitur : qui sibi nomen ab eo sancto qui  
in eum diem incidebat , accepit. Sed de eo in subsequenti-  
bus latius. Quod ad Ioannem & Gregorium attinet , vnuis  
Concili decretis agri Piceni legatus designatus est : alter  
vero per Martinum ( cui se Florentiæ humiliter submiserat ) cardinalis & episcopus Tusculanus creatus fuit. Ve-  
rum paulo post , mœrore animi afflicti perierunt. Grego-  
rius quidem Recaneti , Ioannes vero Florentiæ , cuius Co-  
mas a Medicis heres factus , supra modum locupletatus est.